Sed in his quoque secundum numerum naturalem lateri adiuncta succrescet. Primus
enim unus et potentia quadratus, id est unitas, unum habet in latere. Secundus
vero quaternarius, id est IIII, duobus per latera positis continetur. Tertius vero, id est
novenarius, [?] opere tribus in latere positis aggregatur. Et ad eandem
consequentiam cuncti procedunt.

Fiunt autem tales numeri ex naturali numeri dispositione. Nam
quemadmodum superius tangebatur, ut ordinatis ad se in-
vicem numeris aggregentur, sed uno semper intermisso qui sequitur,
si cum superiore (vel superioribus) colligatur, ordinatos ex se quadratos efficient. Dis-
ponatur enim naturalis numerus hoc modo: I. II. III. IIII. V. VI. VII.
VIII. VIIII. X. XI. In his igitur si unum respiciam, primum in natu-
rae potestate quadratum. Quod si uno relicto post eum tres superaddidero,
secundum mihi quadratum efficient. Nam si unitati relicto binario ternari-
um apposuero, quaternarium mihi quadratum efficiet. Quod si rursus relicto
medio quaternario quinarium similiter aggregavero, quadratum mihi tertium,
id est novenarium perficiet. Unus enim et tres et quinque novem colligunt. At
vero si his intermisso senario septenarium iungam, tota mihi
sedecim summa succrescit, id est quartus quadratus numerositatis. Et ut
breviter hoc forma perfectionis appareat, si cuncti impares
sibimet apponantur, collocato scilicet naturali numero, quadratorum
ordo concrescit. Est autem in his hoc naturae stabilitas et inmutabilis
ordinatio, quod omnes unitates unusquisque quadratorum reti-
nebit in latere quanti fuerint numeri ad compositionem pariter
congregati. Nam in primo quadrato qui ex uno fit, unum est in
latere. In secundo, id est [illegible] ex uno [illegible] perpetratur,